

totius Concilii Consiliiqve Apostolici scopus ex tota serie
actitatorum elucefecit. Ut enim nolebant imitari gentes &
a suscipiendo christianismo alienari impositione jugi, cui
impares Judæi fuerant, licet multi ex illis imbecilles hacte-
nus fide a suscipienda circumcisione non abhorserent; ita
nolebant scandalizare judæis conversos cæremoniis gen-
tium in idoleo præsertim usitatis. Hæc igitur vocantur
necessaria, ut omissio circumcisionis habebatur necessaria,
non absolute, ut in plantanda Ecclesia propter imbecilles,
qui in utramque partem argumenta inde poterant refugii
ad pristina arcessere, tacita tantisper pleniori informatione,
qua urgentibus necessitatem circumcisionis periculum sa-
lutis ostendebatur; *Christo excidisse Gal. V, 2, 3, 4.* & ciborum
delectum perpetuum secundum judæorum consuetudi-
nem profitentibus libertatis Christianæ sacrum pandeba-
tur, mundis omnia esse munda, nil per preces sanctificatum
inqvinare hominem posse, *locis supra citatis.* Nil itaque
verba pro necessitate absoluta quicquam importare plenis-
sime intelligi posse autumo. Qvod enim ad tempus habe-
tur necessarium, id tale, tempore mutato, non potest per-
petuo haberi. *Augustini* locum supra tactum, contra Fau-
stum Manichæum, transscribemus, ut quæ in nostris deesse
videbuntur inde suppleantur. *Etsi hoc, inquit, tunc Apostoli*
præceperant, ut ab animalium sanguine abstinerent Christiani, ne
præfocatis carnibus vescerentur; eligisse mihi videntur pro tempo-
re rem facilem, & nequaquam observantibus onerosam, in qua cum
Israëlitis etiam gentes propter angularem illum lapidem duos pa-
rietes in se condentem aliquid communiter observarent; simul &
admonerentur in ipsa arca Noë, quando DEVS hoc jussit, Ecclesi-
am omnium gentium fuisse præfiguratam; cuius facti prophetia
jam Gentibus ad fidem accendentibus, incipiebat impleri. Tum
sanclo vero illo tempore, quo illi duo parietes, unus ex circumcisio-
ne, alter ex præputio venientes, quamvis in angulari lapide con-
cordarent, tamen suis quibusdam proprietatibus distinctius emi-
nabant. At ubi Ecclesia Gentium talis effectus est, ut in ea nullus
Israelita carnalis appareat, quis jam hoc Christianus obseruat &c.

Obstat